



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VI. De Sacramento Confirmationis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ARTICULUS PRIMUS.

An Confirmatio sit verum & proprium novæ legis Sacramentum, & quandomam a Christo fuerit institutum?

§. I.

Prima pars quæstionis resolvitur.

Dico primò: Ritus ille qui in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur, est verum novæ legis Sacramentum.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Florentino, in Decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 1. de Confirmatione, contra Lutheranos & Calvinistas, qui calumniantur ejus ceremoniam quam Confirmationem appellamus, nullam fieri in Scriptura mentionem, imò nec in Patribus trium primorum sæculorum, sed eam fuisse inventam & introductam à Melchiade Papa anno Christi 311. Addunt quod, si aliqui Patres quarti & quinti sæculi eam vocarunt Sacramentum, locuti sunt de Sacramento improprie dicto, qualiter omnes ceremonie Ecclesiæ possunt vocari sacramenta. Ut hic error confutetur.

Probatur primò conclusio ex Scriptura: Actuum 8. Petrus & Joannes missi ad Samaritanos jam baptizatos, ut Spiritum Sanctum illis conferrent, dicuntur super eos manus imposuisse, & additur ex tali impositione manuum continuo Spiritum Sanctum illis fuisse collatum. Item cap. 19. dicitur quod cum Paulus eos qui baptizati erant baptismo Joannis, jussisset iterum baptizari, manus eis imposuit, & Spiritus Sanctus in eos descendit. Ex quibus sic possumus arguere: Ceremonia illa in manuum impositione consistens, per quam dicuntur Apostoli Spiritum Sanctum baptizatis contulisse erat verum Sacramentum: Sed aliud esse non poterat, quam illud quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur. Ergo ritus ille qui in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur, est verum novæ legis sacramentum.

Major probatur. Signum sensibile gratiæ sanctificantis, in actuali exercitio ipsius conferendæ, & à Deo, sive Christo institutum, est verum Sacramentum in nova lege: Sed ceremonia illa quatuor ista habebat: Constat enim in primis quod esset signum sensibile. Secundò in actuali ejus exercitio conferebatur infallibiliter gratia, quia dabatur infallibiliter Spiritus Sanctus. Tertio illud signum erat ad hoc à Deo, sive Christo institutum, tum quia incredibile est Apostolos hac ceremoniam tam communiter fuisse usos ad conferendum Spiritum Sanctum, nisi fuisset à Christo instituta: tum etiam quia Apostoli conferre non potuissent propria autoritate Spiritum Sanctum tam certo & infallibiliter, in usu talis ceremoniæ. Minor etiam contra hæreticos evidenter demonstratur: Illi enim duo tantum Sacramenta agnoscunt, Baptismum scilicet & Eucharistiam: At illa impositio manuum Apostolorum, manifestè non erat Eucharistia, sed nec poterat esse Baptismus, quandoquidem fiebat post Baptismum, & jam baptizatis dabatur: Ergo si erat verum Sacramentum (ut jam ostensum est) non poterat esse aliud, quam illud quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur.

Respondent primo Hæretici, illam manuum impositionem, fuisse tantam ceremoniam quamdam

ione fieri non possunt bene. Probatur verò quoad secundam: nam conformitas ad Christum in illa corporali læsione, nullius virtutis honestatem habet, neque in aliquem Christi honorem cedit, sed est culeus omnino superstitiosus & vanus; alioquin etiam liceret perforare manus & pedes, ad imitationem Christi: insipiens etiam modus mortificandi carnem est, se circumcidere, cum illicitum sit; ob mortificationem graviter ledere corpus: Ergo stultum est, ob imitationem Christi, aut carnis mortificationem, velle pati & sibi infligi læsionem illam corporalem, quam circumcisio de materiali importet.

Ad quod hæc circumcisio scandalum præbet fidelibus, nam speciem habet mali, cum illi qui eam exercent, judaizare videantur. Unde Medina quæ 1. 2 loco supra citato, in priorum sententiam inclinaverat, in hac parte quæst. 37. art. 1. nostram amplectitur; & similiter Vericelli tomo 2. tract. 15. quæst. 218 retrahat sententiam quam tomo 1. docuerat, ait enim: *Hic tamen non obstantibus, nunc re maturius consideranda, dico non esse ullo modo tolerandam, quia quidquid sit de sine circumcisioe huius, tamen præbet scandalum toti Ecclesiæ Catholice, quia non est manifestum motivum nobilitatis.* Denique proposito hoc dubio à Patriarcha Æthiopiæ Sacre Congregationi Inquisitionis, an scilicet Abassinis liceat se circumcidere? habita est Congregatio Patrum Qualificatorum Sancti officii die 30. Julii anno 1637. qui responderunt: *Non esse quocumque preterito tolerandam circumcisioem, & Pastores debere corrigere subditos, quantum possunt, contumacesque arcendos esse à communione.* Ex quo patet Ecclesiam Romanam ritum illum Abassinorum nequamquam tolerare.

De aliis preparatoriis ad Baptismum, de quibus agit S. Doctor quæst. 71. ut de catechismo, exorcismo & aliis, nulla est difficultas, quæ ex sola lectione textus D. Thomæ, facile non evaeretur. Unde, his omisiss, fit

DISPUTATIO VI.

De Sacramento Confirmationis.

Ad quæst. 72. D. Thomæ.

Cum in Ecclesia Christi Sacramentum Confirmationis secundum locum ordine administrationis habere soleat, ut nimirum ad id quod perfectissimum est, scilicet ad Sacramentum Eucharistiæ, Baptismate & Confirmatione, veluti gradibus quibusdam, & congruâ preparatione ascendamus, recta etiam doctrinæ methodus exigit, ut Tractatum de Baptismo immediate sequatur disputatio de Confirmatione, in qua de huius Sacramenti existentia, essentia, effectibus, subjecto, & ministro dicemus.



dam baptismi, quâ Apostoli baptizatos Deo commendabant, & offerebant, atque pro illis orabant.

Sed contra primò . Si illa manuum impositio fuisset aliqua tantum ceremonia baptismi, potuisset adhiberi à quocumque a quo poterat baptismus conferri . Sed hoc repugnat Scripturæ, nam Actuum 8. Philippus Diaconus baptizat, nec tamen manus super baptizatos imponit, sed Petrus & Joannes ad hoc faciendum venisse dicuntur . Ergo &c.

Secundo, Si illa manuum impositio fuisset solum quædam oblatio & commendatio, seu oratio pro iis qui susceperant Sacramentum Baptismi, quid opus erat Apostolos ab Hierosolymis triginta duobus milliariibus distantem: quasi non possent orare pro absentibus, eosque Deo commendare & offerre?

Tertiò, Apertè constat ex Actor. 8. & 19. Apostolos per manus impositionem dedisse Spiritum Sanctum: Ergo illa non erat solum nuda ceremonia & oblatio baptizatorum, sed verum Sacramentum conferens gratiam.

4 Nec valet quod dicunt hæretici, per illam manuum impositionem non datam fuisse gratiam gratis facientem, sed tantum gratias aliquas gratis datas, puta donum linguarum, vel donum prophetiæ, quod probant ex eo quod Scriptura dicat Actor. 19. eos quibus Paulus manus imposuerat, locutos fuisse linguis, & prophetafle. Non valet, inquam, tum quia Spiritus Sanctus non datur per collationem gratiæ gratis datæ, sed tantum per infusionem gratiæ sanctificantis Tum etiam, quia gratiæ gratis datæ in primitiva Ecclesia non conferebant omnibus, sed aliquibus tantum, prout Ecclesiæ expediebat, unde Apostolus 1. ad Corinth. 12. Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes loquuntur linguis? Sed donum Spiritus Sancti, de quo locis citatis Scriptura loquitur, dabatur omnibus per manuum impositionem. Ergo tale donum erat gratia sanctificans non vero aliqua gratia gratis data, licet interdum etiam quædam gratiæ gratis datæ, per talem manuum impositionem, unâ cum gratia sanctificantem conferrentur.

5 Respondent secundò hæretici, illam manuum impositionem fuisse quidem ceremoniam ad dandum Spiritum Sanctum institutam à Christo, sed solum ex speciali privilegio, quod non duravit nisi tempore Apostolorum, subindeque ritum illum qui nunc ab Ecclesia Romana fit, & Confirmatio dicitur, non esse verum novæ legis Sacramentum. Idque probat Kennitius ex eventu, ad impositionem enim manuum Apostolorum, descendebant (inquit) visibiliter linguæ igneæ, quod tamen modo non contingit.

6 Sed contra primò : Cyprianus Epist. 73. ad Jubaianum, postquam reulit factum Apostolorum Petri & Joannis Actor. 8. subjicit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, prepositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem, Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Item Augustinus 15. de Trinit. cap. 16. *Orabatur (inquit) Apostoli Actor. 8. ut Spiritus Sanctus in eos veniret quibus manus imponebant, quem morem in suis Prepositis, seu Episcopis, etiam nunc servat Ecclesia: Ergo falsum est, quod solum tempore Apostolorum cere-*

monia illa impositionis manuum, ex speciali privilegio, à Christo ad dandum Spiritum Sanctum instituta fuerit.

Secundò, Cum eadem causa propter quam Deus in impositione manuum Apostolorum dedit Spiritum Sanctum tribuebat, locum adhuc habet in Ecclesia, omni enim tempore egerit fides virtute Spiritus Sancti, ad resistendum in perfectione, & confitendam fidem, non est cur egerit privilegium illud adhuc in Ecclesia perseverare non descendat modo visibiliter, sicut tunc, quia rationabilis est quam asserit Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 16. quod scilicet initio Ecclesiæ fides plantandum & nutriendum, ejusmodi miracula sensibilia necessaria essent: modo autem hæc non requiruntur, sed sufficit quod Spiritus Sancti invisibilis gratia nobis conferatur.

Probat secundò conclusio ex SS. Patrum qui Melchisedem præcesserunt, & tribus primis sæculis floruerunt. Primo loco se offert Dionysius, qui in libro de Eccles. hierarchia expressim facit mentionem Sacramenti Confirmationis, nam capite 2. sic ait: *Baptizatum indutum aliis veste ad Pontificem ducunt: ille autem ac desuper spiritum unguento virum signat.* Et cap. 4. *Ei (scilicet Maximo) spiritum est aliud Sacramentum, quod acceptores nostri unguenti mysterium nominant.* Ergo etiam meminit Clemens Romanus Epist. 4. c. 5. *Omnibus festinandum est sine mora tradere, & demum consignari ab Episcopo.* Tertullianus de resurrex. carnis cap. 8. insinuans antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ adultis Cathæcomenis ritè preparatis, tria Sacramenta eodem die conferebat, primò Baptisimum, secundo Confirmationem, tertio Eucharistiam, de Baptismo ait, *Caro abluitur, ut anima emaculetur: de Confirmatione: Caro ungitur, ut anima confortetur, caro signatur, ut anima muniat; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* De tertio: seu de Eucharistia: *Caro carnes vestitur, ut mens de Deo saginetur.* Quibus verbis tria que in Sacramento Confirmationis, scilicet baptismum & Eucharistiam medio sequuntur, luculenter describit: nam in Confirmatione primò ungitur Chrismate, deinde signatur, quia forma hujus Sacramenti est, *Signo signo crucis, ungo te chrismate salutis.* Demum et ea, manuum impositione adumbratur.

His Patrum testimoniis adjungo ipsa veterum antiquorum Conciliorum decreta: nam in Concilio Laodiceno antiquissimo can. 7. jubentur Novitiani sacro chrismate ungi. Et in Antiocheno apud Gratianum de consecrat. dist. 5. Can. 4. *Itini, præcipitur ut adulti jejuni ad Confirmationem veniant, & prius confessionem facere debeantur.* Et in Concilio Meldensi apud eundem Gratianum, eadem dist. Can. *It Episcopi sic legitur: Non nisi reitum, per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant.*

Ex his refutata manent duo priora mendacia hæreticorum, dicentium nec in Scriptura, nec in Traditione primorum sæculorum, reperiri Sacramentum Confirmationis, unde superest redellendum tertium quod asserunt, nimirum Patres antiqui & quinti sæculi, dum Confirmationem Sacramentum appellarunt, largè & improprie nomen Sacramenti usurpasse. Sic ergo argumentor: Si Patres in ea proprietate asserunt Confirmationem esse Sacramentum, quâ est Baptisimum, At

Baptismus est propriissimè sacramentum: Ergo SS. Patres cenent etiam Confirmationem esse strictè & propriè sacramentum. Minor est certa, & ab hæreticis conceditur. Major verò probatur primò ex Cypriano Epistolâ 72. ad Stephanum Papam, ubi de Baptismo & Confirmatione loquens, sic ait: *Tum demum plene sanctificari & esse filii Dei possunt, si SACRAMENTO UTROQUE nascentur.* Probatum secundò ex Ambrosio libro 3. de sacramentis cap. 2. ubi hæc scribit: *Post Baptismum sequitur spirituale signaculum (id est Confirmatio) quia post fontem (supple baptismalem in quo sanctitas inchoatur) sequitur ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis infunditur Spiritus sanctus.* Item Augustinus libro 2. contra litteras Petiliani cap. 104. sacramentum Christianitatis (id est Confirmationem) æquiparat Baptismo, in ratione sacramenti: *In hoc unguento (inquie) sacramentum Chrismatis vult Petilius interpretari. Quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. Denique Melchisedes in Epistola ad Episcopos Hispaniæ rogatus, quodnam majus esset sacramentum, Baptismus an Confirmatio? responderet: *Scientur utrumque magnum esse sacramentum: Ergo juxta SS. Patres quarti & quinti sæculi, Confirmatio est sacramentum in eadem proprietate quâ Baptismus.**

Denique suaderi potest conclusio ratione congruenti quâ utitur S. Thomas hic art. 1. & quæ in eo posita est, quod sicut post vitæ naturalis adaptionem, aliud insuper ad corporale robor & augmentum requiritur: ita conveniens fuit, præter sacramentum Baptismi, quo fit spiritualis regeneratio hominis, aliud à Christo institui, ad spirituale robor & augmentum acquirendum. Nec obstat quòd Christus hoc totum unico Baptismi sacramento præstare poterit, licet enim hoc ita sit, congruum tamen fuit, & magis expediens, quod nonnisi duobus sacramentis illa duo tribueret: Primò ut in ipsa sacramentorum diversitate, varietas & multitudine effectuum gratiæ cognosceretur. Secundò, ut homines difficultatem spiritualis militiæ, suæque naturæ imbecillitatem, agnoscerent, videndo post copiosam Baptismi gratiam, se adhuc egere speciali robore & protectione Spiritus sancti. Tertio, ut hac sacramentorum mirabili & sapientissimâ varietate, magis ab hominibus coleretur Deus, & professio fidei facta in Baptismo, rata haberetur in Confirmatione.

§. II.

Respondetur instantiis Hæreticorum.

Objiciunt primò Hæretici: Non est idem quod nunc fit ab Episcopis, & quod ab Apostolis factum narratur Actuum 8. & 19. Ergo licet daretur, quod cæremonia illa Apostolorum fuerit verum sacramentum, non sequitur tamen Confirmationem nostram veram sacramenti rationem habere. Consequentia patet, Antecedens probatur. In primis enim ab Apostolis dabatur Spiritus sanctus cum dono linguarum, aliisque donis, quæ jam non dantur ab Episcopis. Secundò, Apostoli tantum manus imponebant. Confirmatio verò nostra fit unctione Chrismatis. Tertio, Confirmatio nostra non potest iterari, secus illa manuum impositio, teste Augustino libro 3. de Baptismo cap. 16. ubi sic habet: *Manus autem impositio non sicut Baptisma repeti non potest: quid enim est aliud quam oratio su-*

Tom. V.

per hominem? Ergo non est idem quod nunc fit ab Episcopis, & quod ab Apostolis factum narratur. Respondeo negando Antecedens: idem enim nunc fit à nostris Episcopis, quod fiebat ab Episcopis quinque priorum sæculorum Ecclesiæ, ut aperte constat ex locis Patrum & Conciliorum supra citatis: idem autem Patres testantur, Ecclesiam tunc fecisse per Episcopos id quod fecerant Apostoli, eorumque exemplum esse secutam, ut patet ex verbis Cypriani & Augustini supra relatis. Ad primam probationem in contrarium, dicendum est quod licet exordio nascentis Ecclesiæ sæpe daretur per impositionem manuum Apostolorum Spiritus sanctus, cum dono linguarum, aliisque gratis gratis datis, hoc tamen beneficium accidentariò erat illi conjunctum, effectus enim principalis & veluti substantialis illius erat infusio gratiæ habitualis, quæ nunc etiam datur fidelibus, quando Confirmationis sacramentum recipiunt.

Ad secundam respondeo, unctionem Chrismaticam communiter fuisse adhibitam ab Apostolis in Confirmatione: licet enim Lucas compendiosius scribens loquatur solum de manus impositione, Dionysius tamen supra citatus, qui tempore Apostolorum vixit, testatur Apostolos usos fuisse unctione Chrismatis, & Fabianus Papa Epistolâ 2. ad Orientales ait, Christum docuisse Apostolos conficere Chrusma. Interdum tamen Apostoli, ex speciali Christi dispensatione, non uti sunt Chrismate, sed per nudam manuum impositionem hoc sacramentum contraherunt, ut plures docent post D. Thomam hic art. 2. ad 1. & post Concilium Moguntinum can. 18. & Coloniense in doctrina hujus sacramenti: Cùm enim tunc Spiritus sanctus super baptizatos visibiliter descenderet, & interior unctio evidenti illo Spiritus sancti illapsu satis innoscesceret, non erat quare ad eam designandam, sensibilis illius materiæ quâ modo utimur, scilicet Chrismatis, applicatio requireretur. Aliunde verò cùm interdum plura hominum millia uno die baptizarentur, mosque tunc esset, ut statim baptizati confirmarentur, congruum erat, ut dum Apostolis in talia incumbens, non vacabat singulos inungere, illos ab hac cura liberaret Christus, Spiritu sancto ad solam manuum impositionem patenter veniente.

Ad tertiam dicendum, Augustinum loco citato non loqui de impositione manuum confirmativa, de qua nunc agimus, sed de reconciliativa, quæ in sacramento Pœnitentiæ fit ad reconciliandum pœnitentem cum Deo & Ecclesiâ, hæc enim manuum impositio iterari potest, sicut & ipsum sacramentum Pœnitentiæ, & in ea oratio quadam ab Ecclesiâ adhibetur. Unde observandum est, manus impositionem fuisse quadruplicem in primitiva Ecclesiâ, nempe confirmativam, de qua Act. 8. & 19. curativam de qua Marci ultimo, *Super agros manus imponent, & bene habebunt:* ordinativam, de qua 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et reconciliativam, de qua Concilium Carthaginense 4. can. 80. Araucanum 1. can. 3. & Agathinense can. 11.

Objiciunt secundò Hæretici: Robur & firmitas spiritualis debet acquiri cibo & potu spirituali, sicut firmitas corporis acquiritur cibo corporeo: Ergo post Baptismum quo spiritualiter renascimur, non est opus nisi sacramento Eucharistiæ,

X

charitatis, quod per modum cibi spiritualis institutum est.

15. Respondeo in primis falsum esse, quod per solam nutritionem acquiratur robur & firmitas, nam etiam unctio & exercitatione, aliisque modis acquiritur. Secundò dico, firmitatem & corroborationem quæ datur per Confirmationem, non esse quamlibet, sed veluti militarem & athleticam, ad fidem fortiter profitendam, & defendendam. Adde quod, corroboratio & firmitas per nutritionem, non nisi sentim & longo tempore habetur: Deo autem placuit firmitatem spiritualem citius perficere, ut etiam fecit in Apostolis infusione illâ mirabili Spiritus sancti in die Pentecostes, cui respondet quoad effectum Confirmatio sacramentalis. Unde Hieronymus in dialogo contra Luciferianos: *Disce hanc observationem (confirmandi baptizatos) ex ea autoritate descendere, quod post ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.*

§. III.

Alia difficultas expeditur, & quandam sacramentum Confirmationis à Christo fuerit institutum, breviter declaratur.

16. Licet certum sit, & ab omnibus Catholicis concessum, sacramentum Confirmationis, immediatè à Christo fuisse institutum, sicut & alia novæ legis sacramenta, nam ut ait D. Thomas hic art. 1. ad 1. *Instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo.* Sed quandam tale sacramentum ab ipso institutum fuerit, valde incertum est, & varia circa hoc circumferuntur Authorum placita. Aliqui enim volunt, Christum instituisse sacramentum Confirmationis Matthæi 19. cum pueris manus imposuit. Ita Bachonius in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 1. *Canisius titulo de Confirmatione in principio, imò & Concilium Senonense in Decretis fidei cap. 10.*
17. Sed hæc sententia communiter rejicitur, Tum quia inter illos pueros plurimi non erant baptizati, quibus subinde non poterat applicari Confirmatio; unde Hieronymus & Anselmus dicunt parvulos illos oblatos fuisse Christo, ut benedicerentur, & curarentur ab infirmitatibus. Tum etiam, quia ut ait D. Thomas hic art. 1. ad 1. non debuit ante Ascensionem Christi administrari hoc sacramentum, in quo datur plenitudo Spiritus sancti, qui ut dicitur Joan 7. non fuit datus, nisi Jesus esse glorificatus. Nec obstat autoritas Concilii Senonensis, quia tantum est Provinciale, & à Summo Pontifice confirmatum non fuit.
18. Alii docent institutum fuisse hoc sacramentum, quando Joan. 20. Christus dixit Discipulis, *Accipite Spiritum sanctum*, quia tunc data fuit illis potestas illud administrandi, cum tunc solum sint ordinati Episcopi. Ita Coninek art. 1. dubio 2. & Layman libro 5. summa Tractatu 3. cap. 1. Verùm hæc opinio non videtur probabilior, quam præcedens. Tunc enim datus est Spiritus sanctus Apostolis ad remittenda peccata: Atqui hoc sacramentum non est institutum ad remittenda peccata, sed ad augmentum gratiæ: Ergo tunc institutum non fuit. Nec obstat, quod tunc Apostolis data fuerit facultas hoc sacramentum ministrandi, cum enim minister sit causa tantum efficiens sacramenti, subindeque ad intrinsecam ejus constitutionem non pertineat, sicut mate-

ria & forma, tunc sacramentum aliquod non censetur institutum, cum minister ejus designetur. Unde Baptismus (ut supra ostensum est) non fuit institutus, quando Apostolis data fuit potestas baptizandi, sed quando Christus in Jordane baptizatus est, quia tunc ejus materia fuit designata, & contra eum mundissima carnis Christi consecrata. Quare his opinionibus rejectis.

Dico secundo, longè probabilius esse, sacramentum Confirmationis fuisse institutum in nocte cænæ.

Probatur ex Fabiano Papa Epistola 2. cap. 1. ubi hæc scribit: *In illa die Domini Iesus, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eos, ut patet à sanctis Apostolis Prædecessores nostri accepimus, nobisque reliquerunt, Chrisma consecrare docuit. Ita docent Clemens lib. 3. Constit. cap. 16. & 17. & Cyprianus serm. de unctioe Chrismatis. Atque hæc est ratio, cur Ecclesia Catholica quorundam veteri combulo, novum Chrisma consecrat in die Cænæ.*

Dices, D. Thomas hic art. 1. ad 1. ait quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo: At promittere sacramentum peccati, non est ipsum instituire: Ergo Christus instituit sacramentum Confirmationis in nocte cænæ non instituit, sed duntaxat promisit.

Respondeo aliud esse quod Christus in nocte cænæ promiserit effectum sacramenti Confirmationis, & aliud quod ipsum sacramentum promiserit: secundum quidem non est institutum sacramentum, sed non asseritur à D. Thomas ipsum verò & intenditur à D. Thomas tantum ex verbis sequentibus patet, & sufficit ut sacramentum dicatur institutum.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia & forma sacramenti Confirmationis?

Dico primò, materiam remotam sacramenti Confirmationis esse Chrismam, confectam ex oleo per Episcopum benedicto, & balsamo. Constat ex Florentino in decreto Eugenio, & ex Tridentino sessione 7. can. 2. nec non ex Patribus infra referendis.

Congruentiam assertit D. Thomas hic art. 1. oleum enim quod pingue est, & natura sua maneat ac diffundit, gratiæ plenitudinem designat, quæ in hoc sacramento tribuitur, & per Spiritum sanctum à Christo capite in alios redundat: balsamum verò propter fragrantiam odoris, significat fideles virtute hujus sacramenti, eam virtutis suavitatem effundere, quæ in alios redundat, ita ut illud Apostoli 2. ad Corinthios 2. *Christi bonus odor sumus*, dicere possint.

Circa hanc conclusionem, & hujus sacramenti materiam, quatuor occurrunt difficultates breviter hic dicentidæ, & resolvendæ.

§. I.

Resolutio primæ difficultatis.

Prima difficultas est, an unctio chrismatis sit ita determinatè necessaria ad effectum hujus sacramenti, ut sine illa per nudam manuum impositionem conferri nequeat? Ratio dubitandi est, quia Apostoli in primitiva Ecclesia, per nudam manuum impositionem conferebant hoc

hoc sacramentum, & idem in usu fuisse tempore Concilii Arausiaci sub Leone I. docet Sirmundus in Antirrhethico num. 10. motus verbis canonis primi hujus Concilii à se correcti & explicati, ubi (inquit) præcipitur, ut si quis in Baptismo chrismatus fuerit, non chrismetur iterum in Confirmatione, sed manus tantum ab Episcopo ipsi imponatur. Ex quo ille Author ibidem infert, chrismaticam unctionem non esse de essentia hujus sacramenti, sed duntaxat ceremoniam quandam accidentalem, ad illius ornatum ab Ecclesia inventam, & nudæ manuum impositioni superadditam, subindeque illud ex dispensatione Summi Pontificis posse per solam manuum impositionem conferri. Id confirmat verbis quibusdam Hieronymi, Genadii, Hilarii Arelatensis, & D. Augustini, qui Confirmationem vocant, *Manus impositionem*.

Hæc tamen sententia pluraquam falsa videtur: Fuit enim perpetuus mos Ecclesiæ, sive in Oriente, sive in Occidente, ab initio uti Chrismate, neque in hoc aliqua varietas fuit, quemadmodum in materia ordinationis, ut patet ex Dionysio, Clemente, Tertulliano, & aliis Patribus articulo præcedenti citatis: At non fuisset ille usus in violabilis semper ad eum in Ecclesia, nisi fuisset necessarius, & à Christo determinatè institutus, nam cum materia Chrismatis sit rara, pretiosa, & inventu difficilis, non semper fuisset adhibita, si non fuisset existimata necessaria: Ergo, &c.

Confirmatur: Concilium Florentinum in decreto Eugenii supra citato, insinuat ex dispensatione Summi Pontificis posse simplicem Sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum, in aliquo casu, & tamen agens de materia illius, ita requirit Chrisma, ut nullo modo insinuet posse aliquando ex dispensatione Sedis Apostolicæ sufficere manus impositionem: Ergo signum est, Concilium existimasse, unctionem chrismaticam esse de necessitate omnimoda hujus sacramenti, & non solum ceremoniam quandam accidentalem, ad illius ornatum ab Ecclesia inventam, & nudæ manuum impositioni superadditam. Unde

Ad primum Sirmundi fundamentum, dicendum est cum D. Thoma hic art. 2. ad 1. Apostolos dispensatione divinâ confirmasse per impositionem manuum, sine Chrismate, privilegio illis solis proprio, & ipsis, ob rationes articulo præcedenti §. 2. adductas, specialiter concessio.

Dices, ex hac solutione & doctrina D. Thomæ sequi, non esse idem sacramentum Confirmationis quod nunc celebrat Ecclesiæ, ac illud quod Apostoli in primitiva Ecclesiæ conferebant, cum diversa sit illorum materia.

Sed nego sequelam: licet enim materia quæ Apostoli ex speciali Christi dispensatione utebantur ad conferendum Confirmationis sacramentum, esset materialiter & entitative diversa, ab ea quæ nunc utitur Ecclesiæ, erat tamen eadem formaliter, quia substabat eidem significationi, & Christi institutioni, eandemque habebat vim productivam gratiæ, seu efficaciam ejusdem gratiæ sacramentalis: unde sicut ordinatio Sacerdotum, Græca & Latina, sunt unum & idem specie sacramentum ordinationis, quia licet actiones quibus constat, & quibus character sacerdotalis imprimitur, sint entitate materiali diversa, eandem tamen habent significationem, & efficaciam ejusdem gratiæ sacramen-

Tom. V.

A talis, eandemque Christi institutionem: ita & sacramentum Confirmationis quod nunc celebrat Ecclesiæ, & illud quod Apostoli per solam manuum impositionem ex speciali Christi privilegio in primitiva Ecclesiæ conferebant.

Ad secundum nego quod Confirmationis administratio, per solam manuum impositionem fuerit in usu tempore Concilii Arausiaci, & quod canone 1. præcipiatur, ut in Baptismo chrismatus, non chrismetur iterum in Confirmatione; sed solum ibi duo alia jubentur, primò Chrismatio baptismalis; secundò, ut si quo casu omissa fuerit, de hoc moneatur Episcopus ante Confirmationem, ut scilicet, antequam eum qui non fuit Chrismatus in Baptismo, confirmet, chrismandum prius chrismatione baptismali, ad Sacerdotem remittat, eò quod ipse non possit duplicem præbere Chrismationem; propterea siquidem, dum Episcopus episcopali ritu baptizat, nullam adhibet unctionem verticalem, sed mox ab affusa baptizato aqua, ad frontis unctionem, atque adeò Confirmationis administrationem, procedit.

Quantum verò ad Patres quos citat Sirmundus, licet interdum Confirmationem vocent *manus impositionem*, non tamen dicunt, eam esse solam manus vel manuum impositionem, quin potius vel iidem vel alii locis eam etiam appellant *Chrismationem*: idèò autem vocatur interdum à Patribus Confirmatio, manus, vel manuum impositio, quia ut loquitur Innocentius III. cap. Cum venisset, de sacra unctione: *Per frontis Chrismationem, manus impositio designatur, id est significatur.* Vel etiam, quia ipsa unctio in fronte confirmandi, manus quædam impositio est.

§. II.

Resolutio secundæ difficultatis.

Secunda difficultas est, an essentialè sit huic Sacramento, quòd oleum ex quo una cum balsamo Chrisma conficitur, sit ex olivis expressum, vel sufficiat oleum nucum, vel amygdalarum, aut quid simile?

Respondeo, oleum ex quo Chrisma conficitur, esse duntaxat oleum olivarum, illud enim solum propriè dicitur oleum, & maximè habetur in usu communi hominum, ubi haberi potest, aliud autem non nisi in supplementum, ut rectè ait S. Thomas hic art. 2. ad 3. Nomen ergo olei, simpliciter & sine addito positum, tam verè & propriè significat oleum olivarum, quam nomina aquæ, panis, & vini significant aquam naturalem, panem triticeum, & vinum vitigineum. Quare sicut ex eo quod Christus asseruit, aquam esse materiam Baptismi; & panem ac vinum, Eucharistiæ; Ecclesiæ intellexit, & Concilia definiverunt, aquam naturalem, panem triticeum, & vinum vitigineum, esse materias horum sacramentorum, Baptismi scilicet & Eucharistiæ: sic per oleum, quod secundum institutionem à Christo per Apostolos, eorumque successores acceptam, dicitur à SS. Patribus materia sacramenti Confirmationis, oleum propriè dictum, id est olivarum, intelligendum est.

X 2

§. III.

§. III.

Tertia difficultas resolvitur.

31. **T**ertia difficultas est, an admixtio balsami cum oleo olivarum, sit de necessitate & essentia materiæ Confirmationis, ita ut vero balsamo non apposito, non fiat sacramentum: Negat Cajetanus hic art. 2. dicens, *Sacramentum Confirmationis quo ad substantialia esse completum sine balsamo, quamvis sit necessarium necessitate præcepti, non necessitate sacramenti, quod mixtum ex oleo & balsamo sit materia Confirmationis.* Idem docent Soto in 4. dist. 7. quæst. unicâ art. 2. Estius ibidem §. 8. Valentia tomo 4. disputatione 5. quæst. 1. puncto 2. Caramuel in Theologia fundamentali cap. 7. fundam. 65. num. 1272. Vericelli de apost. missionibus tit. 7. quæst. 127. num. 8. & 9. Gabriel à S. Vincentio, Carmelita discalceatus, disputatione 2. quæst. 1. de Confirmatione, & plures alii.
32. Nihilominus mixtionem illam balsami cum oleo, esse non solum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti, manifestè colligitur ex D. Thoma hic art. 2. ubi absolutè affirmat, materiam hujus sacramenti esse chrisma ex oleo & balsamo confectum, & reddit rationem, quare utrumque in illo debeat reperiri. Et 4. cont. Gentes cap. 60. inter ea quæ ad essentiam Confirmationis pertinent, numerat balsamum. Item in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 2. quæst. 2. ait quod *materia Confirmationis est oleum balsamum.* Demum in 4. ad Annibaldum dist. 7. art. 2. hæc scribit: *Materia Confirmationis componitur ex oleo olivarum & balsamo.*
- Idem constat ex Florentino in decreto Eugenii, ubi sic legitur: *Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama.* Ubi docere videtur, oleum & balsamum æquè pertinere ad materiam sacramenti Confirmationis: unde cum constet oleum esse materiam essentiali ipsius, D idem de balsamo dicendum est.
- Dices tamen, Idem Concilium docuisse materiam calicis esse vinum aquâ mixtum, & tamen certissimum esse, quod aqua non sit de necessitate sacramenti in Eucharistia, sed tantum de necessitate præcepti: Ergo idem dicendum de balsamo in Confirmatione, non obstantibus verbis Concilii.
33. Sed nego consequentiam & paritatem: Concilium enim loquens de materia calicis, non dicit esse vinum aquâ mixtum, vel esse compositum ex vino & aqua, sed esse vinum cui aqua debet admisceri: At verò de chrismate docet esse confectum ex oleo & balsamo, unde patet manifesta differentia.
34. Ratio etiam suffragatur: Materia enim Confirmationis necessaria necessitate sacramenti, est Chrisma, ut ostendimus contra Sirmundum: Sed nomen Chrismatis, quavis apud Scriptores prophanos quodlibet unguenti genus significet, tamen apud SS. Patres & Scriptores Ecclesiasticos, non solum oleum, sed oleum balsamo mixtum designat: Ergo materia sacramenti Confirmationis essentialiter constat ex oleo & balsamo Major patet, Minor probatur primò ex D. Dionysio qui in libro de Eccles. hierarchia cap. 4. loquens de chrismate, asserit illud componi ex re odorifera, quod de simplici oleo in-

A telligi nequit, benetamen de oleo cum balsamo, quod suavissimum odorem habet. Secundo D. Gregorio, qui explicans illud Cantica. *Bene gignitur, quo cum oleo, pontificali benedictione, chrisma efficitur.* Tertio ex Innocentio III. cap. *De ralis*, de sacramentis non iterandis, ubi refert quemdam in sacramento Confirmationis per non antem unguento ex oleo & balsamo, dicitur, distinguens oleum à Chrismate, & non Chrisma alterius liquoris admixtionem. Denique prope Minor suaderi potest contra Cajetanum, argumentum ad hominem: nam si quæ esset ratio ob quam nomen Chrismatis solum oleum significaret, maximè quia, ut dicit Cajetanus, unctio nem significat, cui oleum sufficit: Sed hæc ratio nulla est, unctio enim non minus sufficit balsamum, cum sit unguentum, quam oleum, & tamen fatetur Cajetanus, balsamum non sufficere ad rationem Chrismatis: Ergo necesse est ut præcipuum ejus fundamentum.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò SS. Patres interdum appellare Confirmationem, *sacramentum olei*, nullâ factâ mentione balsami: Ergo sequitur mixtionem balsami non esse de necessitate sacramenti.

Secundò, Balsamum magni æstimatur, fonsque olim utque adeò rarum, ut teste Plinio libro 12. & 25. solum in Judæa, & in duobus domant hortis regis oriretur: unde Titus capta Jerusolymâ, arbutulam balsami in triumphum detulit: Ergo Apostolis, primisque Ecclesiarum Rectoribus, qui valde inopes erant mundi facultatem, balsamum non suppetebat, & consequenter non est materia necessaria in Confirmatione.

Tertio, Innocentius III. cap. *De ralis*, de sacramentis non iterandis, rogatus an Confirmatio iteranda esset in eo qui per errorem, non Chrismate, sed oleo simplici fuerat delinitus: Respondet non esse aliquid iterandum, sed tantum suppletendum quod incautè fuerat prætermissum: Ergo supponit illud quod omisissum fuerat, nimirum unctio nem Chrismaticam, non esse essentiali, aliâ enim sacramentum fuisse non volum, & consequenter denuo conferendum.

Denique Chrisma apud Græcos est oleum & balsamum, quibus duodecim alia aromata immiscentur, ut videre est in Euchologio, & apud Arcudium in concordia Ecclesiarum Occidentalis & Orientalis libro 2. cap. 5. videtur quædam esse habere fundamentum in Dionysio, qui in libro de Eccles. Hierarchia cap. 4. hæc scribit: *Divinum igitur unguenti confectio nem esse collectivam quædam suaviter spirantium materialium, qua in se ipsam vim & copiam fragrantium qualitatium continet.* Sed alia aromata non sunt de necessitate sacramenti Confirmationis: Ergo neque balsamum.

Ad primum respondeo quod cum præcipua pars materiæ hujus sacramenti sit oleum, exigua modicum tantum balsami admisceri necessarium sit, mirum non est, quod interdum dicatur *sacramentum olei*, à parte ejus magis præcipua in quantitate, licet præter oleum requiratur etiam balsamum.

Ad secundum respondeo cum D. Thoma hic

art. 2. ad 4. non opus esse materiam Confirmationis tam facile inveniri & haberi posse, quam materiam Baptismi, quia non est tanta necessitatis Confirmatio, quam Baptismus, & sufficere quod è remotis regionibus ad omnia loca terrarum deferri possit. Et quamvis magni pretij sit, tamen ad conficiendum Chrisma, non requiritur tanta quantitas ejus, ut emi non porueit ab Episcopis primitivæ Ecclesiæ, licet pauperimis, saltem ex elemosynis fidelium.

41. Adde, fuisse etiam ab ortu Ecclesiæ Christianæ magnam balsami copiam, nam quod dicit Plinius de penuria balsami, ad priora sæcula referendum est, ipse enim loco citato subjungit, suo tempore balsamum montes & colles vitium instar implevisse, & Josephus libro 8. cap. 2. dicit Regiam Saba Salomoni plantam attulisse balsami, cujus (inquit) ferax est nostra regio. Propter quod Fabianus Papa, qui anno à Christo nato 238. Ecclesiam rexit, non recipiens executionem Orientalium Episcoporum, qui balsamum ægrè reperiri caulabantur, statuit quotannis, combusto veteri Chrismate, novum confici oportere. Et Concilium Bracharense secundum, sub Honorio, cap. 4. inhibuit Episcopis aliquid pretij accipere pro balsamo. Nunc autem ex America balsamum in varias regiones asportatur, quod licet à Judaico differat colore, est tamen verum balsamum, quia in fragrantia boni odoris, & in effectibus, alijsque proprietatibus, habet sufficientem convenientiam cum balsamo Syriaco, sive aliunde differat specie infima ab ipso, sive non; subindeq; valide ex illo Chrisma conficitur, ut Paulus III. & Pius IV. declaraverunt: sicut quamvis vinum album colore, & fortè specie, differat à rubro, tamen utrumq; est materia Eucharistia, quia utrumq; est verè & propriè vinum.

42. Ad tertium dicendum Innocentium III. verbis citatis solum voluisse, quod quia prior unctio fuerat publicè facta, propter scandalum, publicè iterari non debuit, sed privatim & occultè absq; solemnitate defectum substantialem supplendum esse, utendo omnibus que sunt de necessitate sacramenti in Confirmatione, & accidentalibus duntaxat omitendo, subindeq; in occulto & privatim, denuo adhibendam esse mentionem olei & balsami, cum debita forma, illi qui per errorem, non Chrismate, sed simplici oleo fuerat delinitus.

43. Ad quartum dicendum quod licet duodecim illa aromata, quæ oleo & balsamo, ex usu Ecclesiæ Græcæ, ad conficiendum Chrisma admiscuntur, non sint de necessitate sacramenti, sed ad ritum quandam accidentalem hujus Ecclesiæ pertineant, oleum tamen & balsamum sunt de necessitate & essentia materiæ Confirmationis. Unde cum in sacra Congregatione dubitaretur, an talis usus Græcorum tolerandus esset, decretum fuit, investigandum esse talis usus initium; & si illud antiquissimum esset, tolerandum; sed monendos Græcos, ut ea aromata pauca sint, & in tali quantitate, ut balsami odor prævaleat, & oleum ita sub ratione olei perseveret, ut effectus olei semper retineat. Quod si talis usus non sit ita antiquus, sed post schisma inceptus, omnino eum esse tollendū. Unde sacra Congregatio sentit, balsamum esse de necessitate sacramenti. Idem expressè docet Concilium Colonienſe, in doctrina de sacramento Confirmationis, nam ibi asserit balsamum esse de essentia, & negat solum

Tom. V.

A oleum sufficere ad sacramenti veritatem; licet quia Conciliū illud fuit tantum provinciale, & à Summo Pontifice confirmatum non est, ejus definitiones, ad dogmata fidei non pertineant.

S. V.

Alia difficultas expeditur.

44. Quarta difficultas est, utrum de necessitate sacramenti Confirmationis sit quod Chrisma sit consecratum ab Episcopo, ita ut simplex Sacerdos non possit, etiam ex commissione Summi Pontificis, Chrisma consecrare?

B Ratio dubitandi est, quia potest Summus Pontifex (ut infra dicemus) simplici Sacerdoti committere administrationem sacramenti Confirmationis, quod est aliquid majus, quam materiam ipsius consecrare: Ergo à fortiori poterit simplex Sacerdos, ex commissione Papæ, conficere & consecrare Chrisma, sicq; non erit de essentia & necessitate hujus sacramenti, quod Chrisma sit consecratum ab Episcopo.

45. Opposita tamen sententia magis placet, & satis aperte ex Florentino colligitur: cum enim loco supra citato, absq; differentia dicat, materiam hujus sacramenti esse Chrisma, confectum ex oleo & balsamo, & ab Episcopo benedictum, videtur sentire, quod sicut oleum est necessariū necessitate sacramenti, ita & benedictio sive consecratio ejus, facta per Episcopum.

C Id etiam constat ex perenni usu Ecclesiæ, cum enim nunquam legatur, potestatem Chrisma conficiendi, simplici Sacerdoti ex dispensatione speciali contulisse, quin potius cum Concilium Florentinum dicit, legi aliquando esse dispensatum, ut simplex Sacerdos confirmaret, addat eum hoc debuisse facere, Chrismate per Episcopum benedicto, signum probabilissimum est, supposuisse Concilium, hoc esse necessarium necessitate sacramenti, proindeq; non posse Summum Pontificem, vel Ecclesiam, in hoc validè dispensare.

47. Ex quo facile solvi potest fundamentum adversæ sententiæ, & afferri ratio cur Papa ex Christi voluntate possit conferre potestatem simplici Sacerdoti administrandi sacramentum Confirmationis, non tamen conficiendi Chrisma: Chrisma enim facile potest ad quevis loca transferri, Episcopus verò non potest ita facile haberi; unde primum legitur aliquando ob necessitatem fuisse concessum, ut infra patebit; secundum verò nunquam, sed semper prohibitum, ut constat ex Concilio Wormatiensi cap. 2. ubi sic habetur: *Chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat; & ex Canone Presbyter 26. qu. 6. ubi dicitur: Presbyter Chrisma nunquam conficiat.* Congruentia verò hujus institutionis, fuit major dignitas materiæ hujus sacramenti, in qua consecranda, decens erat ut omnes à primis Ecclesiæ Pastoribus dependerent. Et sicut in naturabilibus producere materiam, aliquid excellentius est, quam compositū, eò quòd materia non sit producibilis nisi per creationē: sic etiam in Confirmatione excellentius est consecrare materiam, quam sacramentum ipsum ministrare; nam qui materiam conficit, ad modum creari se habet, & ideo hoc reservatur magnis Ecclesiæ Principibus, scilicet Episcopis. Adde quod, quamvis daretur, quod majus esset conferre sacramentum Confirmationis, quam ejus materiā consecrare, argumentum non valeret, non enim omnis qui potest

X 3

potest

potest majus, potest quilibet minus; ut homo potest generare hominem, non aquilam: Sacerdos potest consecrare corpus & sanguinem Christi, sed non altaria consecrare, vel alios Sacerdotes ordinare, quod est minus, & veluti quædam præparatio ad Eucharistiam conficiendam.

§. VI.

Confirmationis materia proxima, & forma hujus sacramenti explicantur.

48.

Dico secundò, materiam proximam Confirmationis esse unctionem Chrismatis in fronte, per manum Episcopi, in formam crucis factam.

Constat ex communi usu & praxi Ecclesiæ, varijsq; Conciliorum decretis, præcipuè Florentini, in decreto Eugenij. Et quidem primò quòd materia proxima Confirmationis sit unctio Chrismatis, liquet ex generali regula sacramentorum quæ in usu consistunt, nam in his proxima materia est usus materiæ remotæ, quia est id quod immediatè per formam significatur. Secundò, quòd facienda sit unctio in fronte confirmandi, constat ex eodem decreto Eugenij ubi sic habetur: *Ideo in fronte ubi verecundia sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat.* Tertio hæc unctio chrysmatica in modum crucis fieri debet, tum ut verificentur verba illa formæ: *signo te signo crucis*: tum etiam ut per hoc declaretur, Christianum non debere erubescere crucem Christi, quæ secundum Apostolum Judæis fuit scandalum, Gentibus autem stultitia, ut subdit Eugenius loco citato. Aliam inlinuat rationem D. Thomas hic art. 4. ad 3. ubi ait: *Hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc quod homo sanctificetur in seipso, sed exponitur cuicdam pugna exteriori. Et ideo non solum fit mentio de interiori sanctificatione, cum dicitur: Confirmo te Chrysmate salutis, sed etiam consignatur homo exteriori quasi vexillo crucis ad pugnam spiritualem, quod significatur, cum dicitur, Consigno te signo crucis.* Tertio hæc unctio debet fieri immediatè manu ipsius Episcopi, & non medio aliquo instrumento, quia hoc sacramentum debet fieri per aliquam manûs impositionem, ut constat ex suprâ dictis. Quod verò unctio fiat pollice manûs dexteræ, solum ex ritu præscripto ab Ecclesiâ, & ex consuetudine habetur: unde validum esset sacramentum, si fieret alio digito, vel manu sinistra, quia verè fieret per impositionem manûs; peccaret tamen Episcopus, quia in hoc discederet à consuetudine Ecclesiæ, & à ritu præscripto in Pontificali Romano.

Dico tertio: hanc formam sacramenti Confirmationis, quâ utitur Romana Ecclesiâ: *Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrysmate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritu sancti*, esse convenientissimam: posse tamen hoc sacramentum validè ministrari, sub alijs formis, ab ista substantialiter diversis.

49. Prima pars patet, nam ut observat D. Thomas in forma illa quâ utitur Romana Ecclesiâ, tria designantur, quæ in sacramento Confirmationis reperiuntur, nimirum signum quo notatur is qui in certamen Christianæ militiæ descensurus est, robur spirituale quod homini per hoc sacramentum confertur, & causa conferens tale robur, scilicet sanctissima Trinitas, quæ convenientissimè in hoc sacramento exprimitur, tum

quia illud est perfectio Baptismi, qui sit expressa invocatione Trinitatis; tum etiam quia Confirmatione armatur Christi miles, ut in certaminibus Trinitatem profiteri non erubescat.

Secunda verò pars suadet: nam in edicto Constantini Magni (si tamen verè illius est) quod habetur tomo 1. Conciliorum, ante Concilium Nicænum primò, Constantinus Magnus refert se à Sylvestro Papa, post Baptismum in fronte signatū, & Chrysmate unctū fuisse, in hæc verba: *Signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris & Filii, & Spiritu Sancti, in consignatione fidei.* apud Ambrosium libro 2. de sacramentis cap. 7. in fine, forma traditur: *Deus Pater omnipotens*

B qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, consigneque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Item in quodam Rituali Romano ante anno 800. scripto, hæc forma (ut refert Alcuinus) habetur: *Signa eos Domine signo crucis: ego te confirmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancto.* Demum forma sacramenti Confirmationis in Ecclesiâ Græca, hæc est: *Signaculum domini Spiritu Sancti, supple est istud*: ut patet ex omnibus Græcorum Euchologijs, ubi hæc forma refertur, & ex secundo Concilio œcumenico can. 7. ubi expressè traditur, ut testatur Græcorum rituum peritissimus & doctissimus Cardinalis Bessarion, libro de sacramento Eucharistiæ, tom. 1. Bibliothecæ Sacræ, folio 482. Hanc etiam esse Græcorum formam asserunt Arcudius Græcorum Author, de concordia occidentalis & orientalis Ecclesiæ in sacramentorum administratione lib. 2. cap. 6. & 7. Basilius Pontius de sacramento Confirmationis paginâ 2. cap. 7. & Vercellensis missionibus Apollolicis titulo 11. sect. 1.

Nec obstat quod ait Catulmyritus in concordia utriusq; Ecclesiæ, Tractatu 1. accus. 7. nimirum Severi Patriarcham Alexandrinum libro de ritibus Baptismi, tomo 6. Bibliothecæ Sacræ, referre formam Confirmationis omnino Iulianam Romanam. Nam sicut in Ecclesiâ Latina diversis Ritualibus & Pontificalibus est inverte diversæ formas Confirmationis, quæ jam retulimus: ita mirum non est si in diversis Græcorum Euchologijs diversæ inveniantur formæ Confirmationis, sed quæ frequentior est in Euchologijs Græcis, est illa quam recensimus, ut Authores citati testantur.

E Non valet etiam quod idem Author secundò dicit, nempe hæc verba: *Signaculum domini Spiritu Sancti*, non esse formam sacramenti Confirmationis, sed cujusdam chrysmatis reconciliationis ceremonialis, quæ ab Ecclesiâ Græca olim in Baptismo adhibebatur. Nam præterquam quod Cardinalis Bessarion, & Arcudius Authores Græci, & in Græcorum ritibus peritissimi, expressè testantur, verba illa esse formam quæ communiter Græci utuntur, dum sacramentum Confirmationis administrent: Clemens VIII. in bulla de instructione Græcorum, quæ habetur tomo 3. Bullarum fol. 47. cum prohibuisset Presbyteris Græcis, ne Confirmationis sacramentum conferrent, prohibuit quoque ne illa verba, *Signaculum domini Spiritu Sancti*, profertent, sed ante illa absolvent Baptismum: At si illa verba non essent vera forma Confirmationis, sed quæ mandata solum Baptismi ceremoniam continerent, esset certè non prohibuisset, nisi Baptismus plures habet ceremonias in Latina & Græca Ecclesiâ, quæ nullâ ratione negligi debent, ut bene scribit Arcudius libro 2. cap. 7. Ergo &c.

Ex his probata manet secunda pars conclusio-
nis, quæ asserit sacramentum Confirmationis
posse validè ministrari sub alijs formis substan-
tialiter distinctis ab eo quæ Ecclesia Romana jam
utitur: quis enim negare audeat aliquas ex for-
mis relatis, substantialiter differre ab ea quæ ho-
die Ecclesia utitur, cum in forma Græcorum, &
in Ambrosiana, nulla fiat invocatio Trinitatis,
nec expressio actionis ministri? Unde dicendum
est, Christum non determinasse formam sacra-
menti Confirmationis, quoad speciem, sed solum
quoad genus, & instituisse solum quod hoc sacra-
mentum celebraretur per aliqua verba quæ
ejus effectum significarent, ac reliquissè potestati
Ecclesiæ verba illa determinare, unde orta est di-
versitas illa formarum, diversiq; ritus sacramentum
illud ministrandi in Latina & Græca Ecclesia.
Sicut in sacramento Ordinis Christus non de-
terminavit materiam in specie, sed solum in ge-
nere, & voluit quidem quod non conferretur
Ordinis nisi per aliquod signum sensibile, signifi-
cativum potestatis quæ traditur, non tamen in
particulari tale signum designavit: unde in Ec-
clesia Latina Sacerdotes initiatur per contactum
calicis & patenæ, & in hac actione caracte-
ræ sacerdotalis imprimitur: in Ecclesia verò Græ-
ca, per solam manuum impositionem super caput
ordinandi sacerdotum conferunt. De quo
Tractatu præcedenti disputatione 1. art. 5.

ARTICULUS III.

*Quodnam sit Subjectum capax Confirmationis,
& utrum ad ejus susceptionem adulti aliquan-
do obligentur?*

Dico primò: subjectum capax Confirmatio-
nis est quilibet baptizatus. Ita definitum
est ab Urbano Papa de consecratione dist. 5. can.
Omnes, ubi sic dicitur: *Omnes fideles per manus im-
positionem Episcoporum, debent Spiritum Sanctum
per Baptismum accipere.*

Id etiam probat D. Thomas hic art. 8. in corp.
quia sicut de intentione naturæ est, ut omnis qui
corporaliter nascitur, ad perfectam perveniat
ætatem; ita & multò magis de intentione Dei,
hominem spiritualiter renatum per Baptismum,
perficere per Confirmationem.

Idem confirmat in argumento *Sed contra*, ex
eo quod Spiritus Sanctus adveniens in die Pen-
tecostes, Actuum 2. replevit totam domum, per
quam Ecclesia designabatur, & quicumq; erant
in eadem domo quæ Apostoli, fuerunt omnes
repleti Spiritu Sancto: Ego sacramentum Con-
firmationis, quod datur ad illam plenitudinem
consequendam, debet omnibus qui sunt in Ec-
clesia exhiberi.

Observandum tamen est ex Catechismo Pij V.
parte 2. cap. 7. omnibus quidem post Baptismum,
Confirmationis sacramentum posse administrari,
minus tamen communiter expedire hoc fieri ante
rationis usum. Primò, quia major est reverentia
sacramenti, ut cum propria fide & dispositione
hominis suscipiatur. Secundò, est etiam major
utilitas ipsius suscipientis, quia majorem gratiã
ex opere operato accipiet, si cum propria dispo-
sitione accedat. Tertio, ut magis meminerit
quod ei dicitur, cum ab Episcopo alapa ceditur,
se deinceps pro nomine Jesu contumelias liben-
ter pati debere. Quarto, ut magis vitetur peri-
culum iterationis, ob ignorantiam vel oblivio-

nem Confirmationis jam acceptæ. Deniq; cum
sacramentum Confirmationis sit veluti secunda
fidei professio solemnis, per se videtur expediens,
ut quando prima in Baptismo facta est per alios,
secunda in hoc sacramento fiat per ipsamet
suscipientem. Sufficit autem communiter ætas
septem annorum, atq; etiam licitè præveniri
poteit justa de causa, ut si imminerent perfecutiones,
sicut tempore nascentis Ecclesiæ, vel si
puer hac occasione prætermisã, non posset diu
post, ob Episcoporum penuriam, vel aliam simili-
lem causam, hoc sacramentum suscipere.

Dico secundò: ad recipiendum sacramentum
Confirmationis in nullo casu tenentur adulti,
sub præcepto, per se & directè eos obligante. Est
contra Scotum, Bellarminum, Turrianum,
Martinonum, & alios. Est tamen D. Thomæ in
4. dist. 7. quæst. 3. art. 2. quæstione 1. in corp. ubi
dicit quod sacramentum Confirmationis non
est necessitatis, sed utilitatis; quod tamen esset
falsum, si in aliquo casu per se tenerentur adulti
sub præcepto ipsum recipere, tunc enim esset
sacramentum necessitatis præcepti. Item in hac
parte supra quæst. 65. art. 4. postquam dixit du-
pliciter aliquid necessarium dici, uno modo sim-
pliciter, sine quo videlicet haberi non potest fi-
nis: alio modo secundum quid, sine quo scilicet
finis non habetur ita convenienter, sicut equus
necessarius est ad iter; subdit secundo isto mo-
do necessariam esse Confirmationem, quod ta-
men patet fore falsum, si Confirmatio esset per
se de præcepto, in aliquo casu.

Ratio etiam suffragatur: Nullum enim est præ-
ceptum, neq; divinum, neq; Ecclesiasticum, per
se obligans fideles in aliquo casu, ad susceptionem
sacramenti Confirmationis: Ergo sub nul-
lo præcepto, per se & directè unquam tenentur
illud suscipere. Consequenter patet, Antecedens
verò probatur primò de præcepto divino, quia
in nullo Scripturæ loco habetur, sicut habentur
præcepta de Baptismo, Eucharistia, & Pœnitentia;
neq; ex traditione, cum nulla sufficiens tradi-
tio habeatur in Concilijs, Patribus, aut Eccle-
sia, quæ præceptum hoc divinum persuadeat;
neq; colligitur ex ipsa natura sacramenti, quia
sacramentum Confirmationis solum datur ad
melius esse: homines autem in vita spirituali
non tenentur ad id quod melius est.

Probat etiam Antecedens quoad secundã
partem, & ostenditur nullum esse præceptum Ec-
clesiasticum obligans fideles ad susceptionem
Confirmationis: Ecclesia enim non imponit
præceptum de aliquo sacramento suscipiendo, ni-
si præsupposito divino præcepto, determinando
scilicet tempus quo illud debet impleri, ut patet
in alijs sacramentis necessarijs, nempe Baptismo,
& Pœnitentia; unde cum nullum sit divinum
præceptum de Confirmatione suscipienda, ut
jam ostensum est, nullum etiam erit de illa præ-
ceptum Ecclesiasticum. Adde quod, si esset ali-
quod præceptum Ecclesiasticum, maxime obli-
garet in articulo mortis: quod tamen esse falsum
patet, tum ex usu Ecclesiæ, tum ex Melchiade
Papain cap. *Spiritus Sanctus*, de consecratione
dist. 5. ubi dicit hoc sacramentum non esse ne-
cessarium hominibus jam morituris.

Dixi autem in conclusione, adultos per se &
directè non teneri ad suscipiendum sacra-
mentum Confirmationis, quia interdum per accidens
& indirectè ad illud recipiendum obligari pos-
sunt, putà ratione scandali, ut si putaretur ali-
quis

quis

quis omittere Confirmationem, eò quòd eam A contemneret, aut non crederet esse sacramentum: vel ratione propria conscientia, quando nimirum aliquis sibi persuadet quod absq; tali medio tentationes contra fidem non superabit, & credit sibi immediatè periculum deficiendi à fide, nisi hoc sacramento roboretur.

60. Contra istam conclusionem objicitur primò: Omnes fideles tenentur ex præcepto divino esse plenè sive perfectè Christiani: Sed ad hoc necessaria est sacramenti Confirmationis susceptio, cum per tale sacramentum homo fiat plenè & perfectè Christianus: Ergo homo tenetur ad recipiendum sacramentum Confirmationis. Unde in Can. *Omnes supra citato dicitur: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.*
61. Secundò, Tenetur ex præcepto divino quilibet fidelis adultus, non inermis aggredi periculum maximum fidei, & spiritualis militia: Sed velle absq; sacramento Confirmationis coram tyranno fidem profiteri, est vell e inermis aggredi periculum maximum fidei & spiritualis militia; proprium enim est sacramenti Confirmationis armare Christianum in hunc finem: Ergo tenetur fidelis adultus, saltem in illo casu, recipere si possit sacramentum Confirmationis.
62. Tertiò, Magis obligat bonum vitæ spiritualis, quàm bonum vitæ corporalis: Sed ita obligat bonum vitæ corporalis, ut in vita naturali habet homo præceptum adhibendi medium necessarium ut augeatur: Ergo etiam in vita spirituali habet præceptum suscipiendi medium ordinatum ad augmentum talis vitæ, quale est sacramentum Confirmationis.
63. Pro solutione primæ objectionis, observandum est ex doctrina D. Thomæ in 4. dist. 7. qu. 1. art. 1. quæstionc. 2. ad 1. plenitudinem gratiæ Christianæ duplicem distingui, alia enim est quoad sufficientiam, quæ datur in Baptismo, & quæ constituit hominem substantialiter Christianum; & alia quoad abundantiam, quæ datur in Confirmatione, & constituit hominem jam Christianum, militem Christi. Hoc posito.
64. Ad primum respondeo distinguendo Majorem: Omnes fideles tenentur esse plenè Christiani, plenitudine sive perfectione quoad sufficientiam, concedo Majorem. Plenitudine sive perfectione quoad abundantiam, nego Majorè, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Unde quando in Canone *Omnes dicitur quod omnes fideles per impositionem manus Episcoporum, Spiritum Sanctum accipere debent, verbû illud debent, non significat præceptû, sed consiliû, hujusq; sacramenti utilitatem, non verò illius necessitatem declarat.*
65. Ad secundum nego Minorè, licet enim qui in occasione profitendi suam fidem coram tyranno, negligit confirmari armis illis specialibus quibus milites Christi sacramento Confirmationis induuntur, nolit corroborari; quia tamen aliunde, scilicet gratiâ baptismali, cum virtutibus & auxilijs ipsi correspondentibus, sufficienter ad resistendum permunitur, non est dicendus periculum fidei inermis aggredi.
66. Ad tertium concessio Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem; Ratio discriminis est, quia medium ordinatum ad augmentum vitæ corporalis, unicum est, scilicet nutritio: è contra verò illud quod ordinatur ad augmentum

vitæ spiritualis, est multiplex, ad eò ut alijs modis, quàm sacramento Confirmationis possit quis augere in se gratiam.

ARTICULUS IV.

Quinam sit, proprius sacramenti Confirmationis effectus?

Facilis est resolutio hujus difficultatis ex de-
ctis articulis præcedentibus. Unde
Dico breviter, proprium ac speciale sacra-
menti confirmationis effectum, esse augmen-
tum gratiæ, quo homo roboratur ad proficien-
dam fidem, & acquirit jus ad specialia auxilia
pro illo actu constanter eliciendo.
Patet ex Florentino in decreto Eugenij, ubi di-
citur, in hoc sacramento dari Spiritum Sanctum
ad robur, ut Christianus Christi nomen audacter
confiteatur. Idem testatur antiquissimi
Patres, Dionysius, Clemens, Tertullianus, Au-
gustinus, Cyprianus, & Melchiasdes Papa in E-
pistola ad Episcopos Hispaniæ, ubi hæc scribit:
*Spiritus Sanctus qui super aquas Baptismi salutariter
descendit lapsus, in fonte plenitudinem tribuit ad immu-
nentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad
gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam, post
Baptismum Confirmamur ad pugnam. In Baptismo
ablumur, post Baptismum roboramur. Et paulo post
Confirmatio armat & usum ad agones mundi superandos*

Idipsum docet D. Thomas hic art. 7. ubi dicit
quod in Confirmatione datur baptizato Spiritus
Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pen-
tecosæ. Unde virtutem Confirmationis et hæc
quæ Apostolis evenerunt, declarandam docet
Catechismus Romanus, parte 2. de sacramento
Confirmationis num. 11. his verbis: *Si Pollo
voluerint divinam hujus sacramenti efficaciam pro-
dere, satis erit, quid ipsi Apostolis evenit experiri.
illi enim ante passionem, vel sub ipsam passionem hunc,
ad eò infirmi & remissi fuerunt, ut cum Domino com-
prehensus est, statim se in fugam coniecissent, Petrus
verò unus muliercula voce perterritus, se Jesu Christi
Discipulum esse, non semel, aut iterum, sed tertio nega-
verit, ac post Resurrectionem omnes propter metum Iu-
daeorum inclusi, domi se continuerunt. At verò in die
Pentecosæ, tantâ Spiritus Sancti virtute omnes im-
pleti sunt, ut dum Evangelium quod eis commissa er-
rat, non solum Iudaeorum regione, sed universis orbe,
audacter & liberè dispergerent, nihil sibi futuris acci-
dere posse existimarent, quàm quod digni haberentur,
qui pro Christi nomine contumeliam, vincula, tormenta,
cruces perferrent.*

Demum eadem veritas ex materia & forma
hujus sacramenti manifestè ostenditur: Etenim
unctio & consignatio, & hæc verba formæ,
Confirmo te, significant gratiam quæ confer-
tur vi hujus sacramenti, dari in ordine ad verum
tamen & lucram, roburq; spirituale ad fidem
constanter profitendam, conferre. Hoc autem
robur, præter gratiam habitualement, dicitur
speciale ad auxilia opportunè conferenda, &
certissimè, si non ponatur obex; ad fidem facili-
tè profitendam, & superandas difficultates,
ut perfectos decet. Quo pacto ipsi Apostoli
sistebant persecutionibus, non per gratiam ha-
bitualement, sed per auxilia specialia quæ
Deus tempore opportuno illis abundè suppeditabat,
sine quibus neminem quamvis vultu-
tum posse diu perseverare, docet Tridentinum
Sessio 7.

70 sessione 6. can. 22. & experientia satis constat.

Ex his colligitur primò, sacramentum Confirmationis per se & ex primaria intentione Christi instituentis, non conferre gratiam primam, sed secundam: Nam gratiam confert in modum augmenti, & corroboratoris, & ætatis adultæ Christiani: Sed augmentum gratiæ, supponit gratiam esse, & prius est fieri Christianum, quàm corroborari & perfici; priusque est nasci, quàm adolefcere, & in virum perfectum evadere: Ergo &c. Dixi per se, nam per accidens interdum potest hoc sacramentum primam gratiam conferre, & peccata remittere, ut docet D. Thomas hic art. 7. ad 2. his verbis: *Si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non scilicet accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequatur remissionem peccatorum.* De quo plura diximus Tractatu præcedenti, disp. 3. art. 5. §. 4. ubi ostendimus, omnia sacramenta vivorum, per accidens aliquando conferre primam gratiam, & prodesse mortuis, dummodo non ita mortui sint, quin aeternum vitalem imperfectum, & spiritum aliquem motum fidei & attritionis exerceant.

71 Colligitur secundò, potiorè & præstantiorè esse effectum Confirmationis, quàm Baptismi; sicut in naturalibus plus est id quò constitutum in statu ætatis perfectæ, & corroboratæ, quàm id quò ab initio nostræ nativitatæ habemus; & sicut Apostoli plus acceperunt die Pentecostes, quàm in baptismo: unde Urbanus Epist. 1. cap. 7. docet homines per sacramentum Confirmationis ex infantibus fieri plene Christianos, & viros perfectos; ut refertur de consecrat. dist. 5. cap. 5. hæc scribit: *Signatur baptizatus christumate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem verò in fronte, ut in priori unctione, significetur super ipsum Spiritus Sancti descensio, ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis & scientia & virtutis, venire in hominem declaretur.*

ARTICULUS V.

Utrum solus Episcopus sit ordinarius hujus sacramenti minister?

72 Photius Patriarcha Constantinopolitanus existimavit non solum Episcopum, sed etiam quemvis aliam Presbyterum esse ministrum ordinarii Confirmationis, ut colligitur ex Epistola Nicolai I. ad Hincmarum, relata à Baronio Anno 867. Idem asseruit Wiclef, ut constat ex Constantiensi sess. 8. & Armacanus de quæstionibus Armenorum lib. 11. cap. 4. id extendens etiam ad Diaconos, & asserens id ex sacra Scriptura elici, quamvis decretis Ecclesiæ oppositum sit definitum. Uthic error impugnetur, & veritas Catholica stabilatur.

73 Dico breviter: ministri ordinarii Confirmationis sunt soli Episcopi.

Conclusio est certa de fide, & definita in Florentino in Decreto Eugenii, & in Tridentino sessione 7. can. 3. de Confirmatione, & sess. 23. can. 7. ubi anathematizat eos qui dixerint, potestatem confirmandi & ordinandi, quam Episcopi habent, illis esse cum Presbyteris communem. Desumitur etiam ex Scriptura, nam Act. 8. di-

74 citur quod Christiani ab aliis baptizati, expectabant adventum Apostolorum, ut ipsis manus imponerent, & acciperent Spiritum Sanctum: At Episcopi succedere Apostolis, ut ait Florentinum: Ergo ipsorum est hoc sacramentum conferre. Unde Eusebius Papa Epist. 3. ad Episcopos Thulciæ, ut refertur de consecrat. dist. 5. cap. 4. *Manus impositionis sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum, ab aliis quàm ab ipsis Apostolis, legitur aut scitur peractum esse.* Item Innocentius IV. in Epist. ad Episcopum Tusculanum, Apostolicæ Sedis Legatum in regno Cyprî: *Soli (inquit) Episcopi consignent Christumate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per Episcopum fieri, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Christumate representat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.*

75 Triplex etiam institutionis hujus congruentia adduci potest. Prima quam habet D. Thomas hic art. 11. desumitur ex similitudine tum artis, tum humanorum contractuum, in ædificiis namque construendis inferiores ministri formam non imponunt, sed solum materiam præparant architecto qui formam imponit; item epistola per notarium pro Principe scripta, ordinariè loquendo, solâ manu Principis validè subscribitur: fidelium autem Ecclesiæ ædificium quoddam divinum est, secundum illud 1. ad Corinth. 3. *Dei ædificatio estis;* item est epistola quadam spiritui Dei in cordibus scripta, ut habetur 2. ad Corinth. 3. Licet ergo hoc ædificium, hæc epistola, per baptismum, sacerdotum ministerio ædificetur & scribatur; quia tamen per sacramentum Confirmationis, domus quasi jam ædificata perficitur, dedicaturque in templum Spiritus Sancti, & epistola jam scripta, signo crucis consignatur, munus hoc solis superioribus artificibus & Pontificibus, seu Principibus Ecclesiæ, ex officio incumbit.

76 Secunda congruentia est, quod solus Episcopus in Ecclesiâ, est veluti dux in exercitu, ad quem pertinet milites recipere, & consignare.

Tertia, quod cum Episcopus sit in statu perfectionis, Confirmatio verò sit perfectio & consummatio Baptismi, proprium ejus munus est, inferiores, mediante hoc sacramento, perficere, seu perfectos Christianos constituere.

77 Contra istam conclusionem objicit primò Armacanus factum Ananix Act. 9. Paulo manus imponentis. Verum ibi non est sermo de impositione manuum confirmativa, sed curativa seu medicinali. Nec obest quod ibidem dicitur, *Utr videas, & implearis Spir. S.* primum enim ad illam curativam & medicinalem manus impositionem pertinet, ut proximus & proprius illius effectus; secundum verò ad baptismum, de quo mox ibidem, & ad alia deinde secuta, referendum est.

78 Secundò objici potest illud 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam que est in te, que data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri.* Quasi munus Presbyteri sit manus impositio, quæ dicitur Confirmatio.

79 Sed responderetur primò, quod ut notat D. Thomas ibi lect. 3. alia littera habet: *Manuum Presbyterii,* & hæc lectio sola nunc habetur in Bibliis correctis jussu Clementis VIII. Unde illa particula non designat ministrum, sed modum, seu speciem illius manus impositionis, quæ non fuit sacramentum Confirmationis, sed Ordinis.

78 Responderetur secundò, stando in alia lectio-
one, quod in Scriptura nomine Presbyteri, saepe
intelligitur Episcopus, quia Presbyter idem est
quod senior, ut ibidem notavit S. Thomas. Sim-
iliter nomen sacerdotis, olim peculiariter ac-
commodatum erat Episcopis, ut videre est in
multis Conciliis Toleranis, & in Sidonio Apol-
linari lib. 9 Ep. 3. ad Faustum. Unde quando S.
Ignatius Epist. 13. & S. Ambrosius lib. 3. de sa-
ceram. c. 2. dicunt, *Spirituale signaculum, & septi-
formem Spiritum Sanctum, dari ad invocationem Sa-
cerdotis*, nomine Sacerdotis, intelligunt Episco-
pum.

79 Obijcitur tertio, quòd apud Armenos &
Græcos, ex veteri consuetudine, Presbyteri pas-
sim confirmant.

Sed respondeo primò, ex moribus schismati-
corum non posse sumi validum argumentum.
Secundò dico, Presbyteros Græcos sacramen-
tum conferre ex concessione Summi Pontificis,
ut patebit ex dicendis articulo sequenti.

80 Obijcitur quartò Concilium Toleranum l. c.
20. Arausicanum l. can. 2. & Innocentius I. Ep. l.
cap. 6. dicunt Presbyterum, absente Episcopo,
præsente verò, non nisi fuerit ab ipso præceptum,
posse alios ungerere chrismate: Ergo ministri or-
dinarii Confirmationis non sunt soli Episcopi.

81 Respondeo concessio Antecedente, negando
consequentiam, Concilium enim Toleranum
non loquitur de unctione chrismatis in fronte,
in qua consistit Confirmatio, sed de cere-
moniali unctione, quæ fit in vertice baptizati: A-
rausicanum verò loquitur de reconciliacione
solemni, quæ olim ad Ecclesiam gremium recipie-
bantur hæretici, qui ab hæresi convertebantur;
ungebantur enim forè ut supplerentur cere-
monia ab Ecclesia in baptismo adhiberi solita,
quam hæretici omiserant. Denique Innocentius
apertè loquitur de cerimonia quæ ungebantur
energumeni, ut demon expelleretur. Ratio au-
tem horum omnium est, quia non licebat olim
simplici sacerdoti ullà ratione aliquem ungerere
chrismate, imò nec baptizare, nisi jubente aut
procul absente Episcopo, & necessitate aliqua
urgente, ut patet ex Epistola 88. Leonis in fine, ubi
sichabatur: *Sed neque coram Episcopo licet Pres-
byteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite,
insantem tingere, aut signare.*

ARTICULUS VI.

*An possit Sacerdos confirmare ex commissione
Pape, vel Episcopi?*

S. I.

*Referuntur sententia, & tertia ut verior & pro-
babilior eligatur.*

82 IN hujus difficultatis resolutione tres sunt Au-
thorum sententia, duæ extremæ, & tertia me-
dia. Prima docet solum Episcopum ita de jure
divino, esse sacramenti Confirmationis mini-
strum, ut neque Episcopus, neque Summus Pon-
tifex, possint committere simplici Sacerdoti,
quod Confirmationem validè administret. Ita
Durandus, Adrianus, Estius, Petrus Aurelius, &
Catumyrinus, qui oppositam sententiam vocat
hæreticam, more suo delirans, ut ait Vericelli,
infra citandus.

Secunda asserit simplicem Sacerdotem posse
esse ministrum extraordinarium hujus sacra-
menti, non tantum ex dispensatione Summi

A Pontificis, sed etiam ex commissione Episcopi,
stando in solo jure divino, & seclusa prohibi-
tione factà à Summo Pontifice. Hanc tenent Sa-
meronius tomo 12. in Acta Apollolorum Tes-
tatu 26. Basilus Pontius in relect. de Consti-
mat. & Martinus Ledelma.

Tertia sententia, quæ est media, & pro-
Vericelli Tract. de missionibus Apolliticis
7. quaest. 129. refert Authores quinquaginta
centes quod simplex sacerdos ex commissione
& dispensatione Pape, non verò Episcopi, sa-
cramentum Confirmationis conferre potest.

Dico primò: Ex dispensatione & commisi-
sione Pape, simplices Sacerdotes validè & legitime
confirmare possunt.

B Probatum primò ex Florentino in decreto Lu-
genii, ubi postquam definisset ministrum sacra-
menti Confirmationis esse Episcopum, subdit:
*Legitur tamen aliquando, per Apostolica Sedis dispen-
sationem, ex rationabili & urgente admodum causa,
simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum conse-
crato, hoc administrasse Confirmationis sacramentum.*
Quibus verbis licet Eugenius expressè non de-
finiat nostram sententiam, implicite tamen eam
approbat, & gravissimum, ut ajunt Valentia,
Candidus, Caltropalaus, & alii, ipsi asserit au-
thoritatis pondus.

Nec valet quod respondent aliqui ex Adver-
sariis, nimirum Concilium ibi quidem reitè
dispensationem factam esse aliquando à Sede A-
postolica, eam tamen non approbasse. Hoc enim
est manifestè contra verba Concilii, quia Con-
cilium dicit ex rationabili causa dispensatè be-
dem Apostolicam, ut simplex Sacerdos confir-
maret: Sed non potest esse rationabilis causa ad
conferendum sacramentum invalidum & nul-
lum, hoc enim sacramentum non est, sed iuri-
legium, & fallax imitatio sacramenti: Ergo &c.

Probatum secundò conclusio ex duobus aliis
Conciliis, Tridentino nimirum & Senonensi.
Tridentinum enim sess. 7. can. 2. de Confirma-
tione cum ait solum Episcopum esse ministrum or-
dinarium hujus sacramenti, satis apertè im-
probidet, alium esse posse extraordinarium, si-
licet Sacerdotem, ex dispensatione & concessio-
ne Summi Pontificis. Senonense verò videtur
omnino supponere sacerdotem simplicem ex
privilegio posse confirmare, cum ait in decreto
morum cap. 38. *Si qui sint* (loquitur de Abbati-
bus) *qui contendunt comperere facultatem confir-
mandi ex privilegio, volumus quod cum primò fuerit
requisiti de privilegio, fidem facere teneantur.*

Probatum tertio ex facto S. Gregorii I. quilibet
3. Epist. 9. prohibuit Presbyteris Sardinia, se
confirmarent: at cum intellexisset eandem delum
inde ortum, concessit iis confirmandi licentiam,
ut refertur in cap. Pervenit dist. 97. & testatur Sa-
meronius anno 594. Sic autem ait S. Gregorius:
*Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod
Presbyteros chrismate ungerent, qui baptizati sunt,
prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veteris
Ecclesie nostre fecimus: sed si omnino hac de causa
qui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri
tam in fronte baptizatos chrismate tangere & aliam
concedimus.*

Respondent Estius & Aurelius, D. Gregorius
solum cum illis sacerdotibus dispensasse, ut
quando baptizarent, ungerent in fronte, in cere-
monia quadam ceremoniali, non verò sacramentali,
sive ut unctione quæ fit in peccatore vel in humeris
eorum qui baptizantur, eandem in fronte face-
rent.

Sed contra est Concilium Florentinum citatum, quod confirmationem illam intellexit de sacramento Confirmationis. Eodem modo eam intellexit D. Thomas hic art. 11. nam cum sibi primo loco objecisset: Videtur quod non solum Episcopus hoc sacramentum conferre possit, Gregorius enim scribens Januario Episcopo dicit: *Peruenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse &c. sic responderet: Ad primum dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam que sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem; & ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Gregorius Papa, quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur.*

Respondent alii, quod tempore D. Gregorii omnes Sacerdotes erant Episcopi, quamvis non omnes haberent jurisdictionem Episcopalem, sed unus duntaxat in singulis civitatibus, qui per anonomasiam nomen Episcopi retinebat, & solus regulariter sacramentum Confirmationis administrabat.

Sed in primis hæc responsio est contra Florentinum, & D. Thomam, qui loquentes de illa dispensatione, eam de simplici sacerdote exposuerunt. Deinde impugnatur ex eo quod licet probabile sit quod initio Ecclesie omnes sacerdotes erant Episcopi, tamen incredibile omnino est, quod illa consuetudo simul cum dignitate sacerdotis consecrationem Episcopalem conferendi, adhuc duraret tempore D. Gregorii, cum jam multi essent Presbyteri, & ante D. Gregorium dixerit Eusebius Papa articulo præcedenti citatus, confirmationem datam a sacerdote, esse irritam.

Tertio alii dicunt, sacerdotes illos quibus facultatem confirmandi concessit D. Gregorius, fuisse per ipsum constitutos, quantum ad istum actum, Episcopos.

Sed contra: Cum ordo Episcopalis consistat in indivisibili, si Sacerdotes illi Episcopalem ordinem receperunt, verè fuerunt Episcopi, & consequenter nulla fuit cum eis dispensatio: quod si non receperunt illum ordinem, nullo modo constituti sunt Episcopi. Adde quod absentes, quales erant illi sacerdotes, nullo modo possunt ordinari.

Probatur quartò conclusio variis Auctororum testimoniis, qui asserunt facultatem confirmandi sæpe simplici sacerdoti fuisse commissam. In primis enim hæc consuetudinem ut Presbyteri confirmarent, viguisse in Ægypto, tradit Author ætæ Ambrosii, & qui citatur nomine Ambrosii, in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios, & Author librorum veteris testamenti, qui sub nomine Augustini communiter citatur; nam quæst. 101. sic ait: *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si dicitur Episcopus, designat Presbyter.* Item in Ecclesia Græca, jam pridem, & diu ante schisma, inductum morem fuisse, ut Presbyteri Græci dent communiter Confirmationem, ex concessione videlicet Summi Pontificis, tacita, vel expressa, eaquæ dere non fuisse reprehensos in Concilio Florentino, scribit Arcudius lib. 2. de Sacramentis c. 10. Imò consuetudinem illam Ecclesie Græcæ tacite approbasse videntur Eugenius & Concilium: nam sess. 25. cum Eugenius undecim quæstiones Græcis proposuisset, inter quas sexta erat, *Cur non Episcopi, sed sacerdotes, inungant sacro Chrismate, cum hoc Pontificibus sit datum?* addit in Tom. V.

A sine Concilium: Hæc à Latinis objecta, Mitylenensis Praesul, legitime, & secundum Canones, omnia dissolvit, præterquam duo, videlicet separationem matrimonii quo ad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.

Demum plura extant diplomata, quibus non ita pridem permillum est à Summis Pontificibus, aliquibus sacerdotibus, ut sacramentum Confirmationis conferrent: nam pro Indis hæc facultatem concesserunt fratribus Minoribus Johannes XXII. & Leo X. ut patet ex Roderico in suo Bullario Regularum, in Bulla 3. Leonis X. Idem concessit aliquibus Patribus Societatis Jesu Gregorius XIII. ut testatur Arcudius, Suarez, Candidus, & alii. Item idem Gregorius concessit ut Abbates, qui asserunt se habere privilegium confirmandi à Sede Apostolica, id agant cum consensu ordinarii, ut testatur ex Armendariz Barbosa, de potestate Episcopi, Allegat. 30. nu. 5. Unde Concilium Senonense supponit Abbates posse confirmare ex privilegio Sedis Apostolicæ, ut supra ostendimus, idque etiam Sacra Congregatio Cardinalium interpretum Concilii, circa sess. 7. declaravit. Imò Averſa quæst. 72. sect. 5. concl. 3. asserit quod in Italia Abbas Sanctæ Barbaræ Mantuanus, facultatem à Sede Apostolica habere dicitur hoc sacramentum administrandi.

Dico secundò, Episcopos non posse committere Presbyteris ut confirmet, sed jure divino, id soli Romano Pontifici reservatum esse.

Probatur primò ex Florentino, nam in Decreto Eugenio, ut specialis prærogativa Sedis Apostolicæ refertur, quod per ejus dispensationem aliquando simplices Sacerdotes confirmaverint, clarè insinuans, id nec concessum fuisse ab aliis Episcopis, nec valere, si concederetur. Item si Patres Concilii Florentini non supposuissent tanquam certum, Presbyteros non posse ex sola commissione Episcopi confirmare, non proposuissent sess. 25. Græcis istam quæstionem: *Cur non Episcopi sed Sacerdotes inungant sacro Chrismate?* Ergo &c.

Probatur secundò ex D. Thoma supra citato: Ut enim probeat summum Pontificem posse concedere simplici Sacerdoti facultatem confirmandi, recurrit ad plenitudinem & eminentiam potestatis, quæ est in solo Romano Pontifice, Christi Vicario: Ergo censet Episcopos non posse concedere Presbyteris, ut confirmet, idque esse reservatum de jure divino solo Romano Pontifici.

Probatur tertio conclusio ratione fundamentali: Quæ spectant ad regimen totius Ecclesie, de jure divino soli Romano Pontifici competunt, cum illi soli à Christo universalis Ecclesia commissa sit: unde solus Summus Pontifex, non autem Episcopus, potest infallibiliter determinare dogmata fidei: item quoad ea sacramenta in quibus non est determinata certa forma, vel materia, solus Summus Pontifex potest eam determinare, non autem Episcopus. Sic solus Summus Pontifex potuit determinare formam Confirmationis, quia hæc non fuit determinata à Christo, prout fuit determinata forma Baptismi. Sic etiam Concilium secundum œcumenicum, à Sede Apostolica approbatum, determinavit formam quæ Græci in Confirmatione utuntur, nempe *signaculum domini Spiritus Sancti.* Sic denique solus Summus Pontifex potuit determinare, & nunc etiam potest variare formam benedicendi factum chrisma, non autem Episcopus.



copus, quia ista omnia spectant ad regimen totius Ecclesie: At providere de idoneo ministro Confirmationis in aliquibus casibus extraordinariis, in quibus Episcopus adesse non potest ad illud sacramentum ministrandum, etiam spectat ad regimen totius Ecclesie, nam ritus sacramentorum ad universa Ecclesie regimen pertinent: Ergo committere Presbyteris ut confirmet in aliquibus casibus extraordinariis, de jure divino Summo Pontifici reservatum est.

96 Confirmatur: Cum nullum esset decretum Summi Pontificis, prohibens Episcopis ne conferant simplici Sacerdoti hoc privilegium, si jure divino illud concedere possent Episcopi, non esset cur illa potestate aliquando non usi essent: Ergo cum nunquam legatur, Presbyteros ex Episcopi jussione confirmasse, sed tantum ex Sedis Apostolicæ privilegio, signum est, quod ex Christi institutione descendit, quod solus Summus Pontifex, ob suæ plenitudinem potestatis, possit constituere simplici Sacerdote, ministrum extraordinarium Confirmationis: sicut solus Summus Pontifex, non autem Episcopus, potest committere Presbytero, ut conferat minores ordines.

§. II.

Solvuntur objectiones.

97 **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Eusebius, & Innocentius IV. articulo præcedenti relati, docent sacramentum Confirmationis non posse unquam ab aliis confici, nisi à Summis Sacerdotibus, seu Episcopis: idemque habet Melchisedes in Epistola decretali ad Episcopos Hispania. Item Innocentius III. cap. 4. de consuetudine, constituit ut fideles potius careant sacramento Confirmationis, quam ut à Presbyteris illud acciperent: At si potuissent Presbyteri ex commissione Summi Pontificis confirmare, id debuisset potius Summus Pontifex ipsis concedere, quam privare fideles illo sacramento: Ergo non possunt Presbyteri ex commissione Summi Pontificis sacramentum Confirmationis conferre.

98 **R**espondeo quod quando tres primi Summi Pontifices afferunt solos Episcopos posse sacramentum Confirmationis conferre, loquuntur de potestate ordinaria; non negant tamen id posse Presbyteros de potestate extraordinaria, & ex commissione Summi Pontificis. Adde quod, cum Presbyteri Chrismare duntaxat ab Episcopo confecto confirmare possint, Episcopi etiam tunc manu Presbyterorum confirmare videntur.

Ad decretum verò Innocentii IV. dicendum est, Pontificem loco citato solum declarasse, factius esse carere Confirmatione, etiam in necessitate, quam illam petere à Sacerdotibus nonnullis, qui licet non haberent ad hoc speciale commissionem Sedis Apostolicæ, suâ tamen temeritate confirmabant, prætendentes consuetudine.

99 **O**bjicies secundò: Si Summus Pontifex possit facultatem confirmandi concedere simplici Sacerdoti, vel id possit ratione potestatis ordinis, vel ratione potestatis jurisdictionis? Non ratione potestatis ordinis, omnes enim Episcopi æqualem potestatem ordinis habent cum Summo Pontifice, & tamen non possunt hanc facultatem concedere simplici Sacerdoti. Neque ratione potestatis jurisdictionis: Tum quia confirmare non dependet à potestate jurisdictionis, sed ordinis, proindeque nec potestatem concedere ad confirmandum: Tum etiam quia aliis

A possit Summus Pontifex, antequam esset electus in Episcopum, & quando solum electus est, facultatem illam concedere, quod tamen videtur falsum, quandoquidem ipse non potest tunc confirmare: Ergo &c.

Confirmatur: Si possit Summus Pontifex facultatem confirmandi concedere simplici Sacerdoti, etiam illam poterit conferre Diacono, cum neuter habeat ipsum ordinem Episcopatus. Sed hoc secundum non potest, ut communiter docent Theologi: Ergo nec primum.

B Ad objectionem respondeo, Summum Pontificem posse concedere simplici Sacerdoti facultatem confirmandi, ex plenaria potestate jurisdictionis quam habet in totam Ecclesiam. Ad primam probationem in contrarium, dico quod licet confirmare non dependeat à potestate jurisdictionis, quando potestas ordinis ad confirmandum est completa & perfecta, qualis est potestas Episcopalis; dependet tamen à superiore jurisdictionis potestate in Summo Pontifice existente, quando est, sicut potestas simplici Sacerdotis, ut completa ad illum effectum. Ad secundam probationem, concedo sequelam, licet enim Summus Pontifex ritè electus, nondum tamen Sacerdos, non possit confirmare, quia confirmatio est actus ordinis, potest tamen simplici Sacerdoti potestatem confirmandi committere, quia ista commissio est solummodo jurisdictionis. Sicut Episcopus electus, & confirmatus à Papa, nondum tamen ordinatus Sacerdos, potest Sacerdoti dare facultatem audiendi confessiones, quas ipse audire nequit.

C Ad confirmationem nego sequelam Majoris operatio enim sacramentalis in corpore Christi mysticum, procedere debet ab habente potestatem in Corpore Christi verum, quam tamen non habet Diaconus, quandoquidem nequit consecrari. Unde D. Thomas in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. Promovere ad illas perfectiones non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest à Papa qui habet plenitudinem Pontificalis potestatis committi Sacerdoti, qui habet aliam summum super corpus Domini verum, non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet per se corpus Domini verum, sicut nec absolvens in sacramento.

D Objicies tertio: Sine ministro instituto à Christo non potest perfici sacramentum, minister enim non minus est de integritate, vel salute necessitate sacramenti, quam materia & forma: Sed minister Confirmationis à Christo institutus, non est simplex Sacerdos, sed Episcopus: Ergo non nisi ab ipso, & non à simplici Sacerdote, potest aliquando hoc sacramentum conferri.

E Respondeo concessa Majori, negando Minorem, licet enim solus Episcopus habeat ex ordinatione Christi esse minister ordinarius Confirmationis, habet tamen ex eadem institutione simplex Sacerdos, ut minister extraordinarius illius effici possit, per commissionem Summi Pontificis.

Dices, Collatâ hac commissione simplici Sacerdoti, vel per potestatem ordinis habet quod possit confirmare, vel per potestatem jurisdictionis? Non per potestatem ordinis, aliâs cum per commissionem hanc nullum ordinem recipiat, idem possit absque commissione. Neque per potestatem jurisdictionis, alioquin idem potest laicus, utpote qui cujuscunque jurisdictionis est capax: Ergo &c.

manet in aeternum

NIST

Respondeo

Respondeo simplicem Sacerdotem commissi-
onem confirmandi à Sede Apostolica obrenta,
posse consequenter confirmare, per potestatem
ordinis, ut connotantem tamen talem commisi-
sionem, subindeque & potestatem jurisdictionis
supremæ in Summo Pontifice: ex quo fit,
quod licet laicus sit capax cuiuscunque potesta-
tis jurisdictionis, non tamen potestatis confir-
mandi, etiam ex commissione Sedis Apostolicæ.

Objicies quartò contra secundam conclusio-
nem: Quidquid potest Papa in tota Ecclesia,
potest Episcopus in sua diocesi: Ergo sicut
Summus Pontifex potest dispensare cum simpli-
ci Sacerdote ut sacramentum Confirmationis
conferre possit in tota Ecclesia, ita & Episcopus,
ut illud conferre valeat in sua diocesi.

Respondeo distinguendo Antecedens: Quid-
quid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episco-
pus in sua diocesi, quoad ea quæ potest Ponti-
ficatore ordinis, seu consecrationis Episco-
pali, transeat Antecedens. Quoad ea quæ potest
ratione jurisdictionis, nego Antecedens. Com-
mittere autem simplici Sacerdoti officium con-
firmandi, non ordinis sed jurisdictionis est,
quam in Ecclesia habet supremam Pontifex Ro-
manus. Dixi transeat Antecedens, quia non im-
probabiliter aliqui dicunt, in consecratione
summi Pontificis magis extendi characterem
ordinis, quam in consecratione Episcopi, subin-
deque in summo Pontifice characterem ordinis
esse altioris gradus & excellentiæ ad caracte-
rem Episcopalem.

Objicies ultimò: Presbyteri Græci sacra-
mentum Confirmationis administrare solent, quæ
consuetudo quarto sæculo incæpit, ut probat
Vericelli de Apostolicis missionibus tit. 7. qu.
30. Sed id tunc temporis non præstabant Sa-
cerdotes Græci ex commissione Romani Pon-
tificis, cum tale privilegium non apparet: Ergo
id ex commissione solus Episcopi faciebant.

Respondeo negando Minorem, nam ut ait
Vericelli loco citato, Romani Pontifices, vel ex-
presso privilegio, quod temporum iniustia non
apparet, vel approbativâ tolerantia consense-
runt Græcos Presbyteros baptizare & confirma-
re infantes. Quod autem Sedes Apostolica con-
senserit expressè vel tacitè, probat, quia Sedes
Apostolica, antequam ab ea deficeret Oriens,
annuatim chrisma mittere solita erat Constanti-
nopolitana, ut testatur Arcudius in concordia
Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, lib. 2. cap.

A 9. Ergo non est verisimile, Romanum Pontifi-
cem à suis Apocritariis non fuisse certioratum e-
jus moris Græcorum Presbyterorum confirman-
di infantes; quare vel expressè consensit, vel ta-
citè, nam facillimo negotio potuisset tunc pro-
hibere; cum enim Constantinopolitani tantam
reverentiam tunc deferrent Romanæ Ecclesiæ,
ut ab ipsa peterent sacrum chrisma, quod pote-
rant ex ordinis potestate ipsimet consecrare;
quandò magis obsequentes fuissent, & abstinu-
issent Presbyteri à conferendo sacramento Con-
firmationis, quod sine licentia Romani Pontifi-
cis invalidè ministrasset: at solità benignitate
Romana Sedes id indulgit Græcis, ut ita faciliùs
à perniciofa illa consuetudine baptizandi in ad-
ulta ætate recederent, prout recesserunt. Ean-
dem Ecclesiæ Græcæ consuetudinem, tacitè ap-
probasse videntur Eugenius IV. & Concilium
Florentinum sess. 25. ubi cum Eugenius (ut su-
prà reculimus) undecim quaestiones Græcis
proposuisset, inter quas sexta erat, *Cur non Episco-
pi, sed sacerdotes inungant sacro chrismate, cum hoc
Pontificibus sit datum?* addit in fine Concilium,
*Hæc à Latinis objecta, Mitylensis Præsul, legitime,
& secundum Canones, omnia dissolvit, præterquam
duo, videlicet separationem matrimonii quoad vincu-
lum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopoli-
m:* Ergo tacitè Eugenius cum Concilio ap-
probavit ritum Græcum confirmandi per Pres-
byteros.

B
C
Dices, Innocentius III. in cap. *Quanto* de con-
suetudine, prohibuit ne Presbyteri Constantino-
poli commorantes confirmarent infantes. Idem
prohibuisse omnibus Presbyteris Græcis
Innocentium IV. fateretur Arcudius lib. 2. cap. 15.
Ergo Ecclesia Romana, nec expressè, nec tacitè
approbat ritum Ecclesiæ Græcæ confirmandi
per Presbyteros.

Responder Arcudius, Innocentium III. prohi-
buisse solùm Latinis Presbyteris Constantino-
poli commorantibus, ne confirmarent infantes,
bullam autem Innocentii IV. non fuisse publi-
catam à Pontificis Legato.

Sed quidquid sit de hoc, meliùs responderetur
cum Vericelli citato, quod esto aliqui Pontifices
id prohibuissent Græcis, tamen, cum Eugenius
IV. in Concilio Florentino approbaverit hunc
ritum Græcorum, revocavit quoad hoc consti-
tutiones Innocentii III. & IV. qui per ducentos
ferè annos Eugenium IV. præcesserunt,

